Quelle: https://manuscripta.at/?ID=237
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

oblivione

propriaz cecatur oculus cordis ipsa culpe cecitas nox vocatur
que lumine veritatis non invenit in quo deinceps agere debeat non
agnoscit. Est in media nocte ignorancie similiter surgen-
dum pro rememoracione ne protrahatur in infinitum vel usque
in infinitum pena. Unde super illud Iob xxxvi. Ne protrahas noc-
tem ut ascendant populi pro eis dicit Gregorius. Noctem protrahere dum
videlicet in pena post culpam meror animi confusis cogitacio-
nibus prolongatur. Non solum enim potest intelligi ista surrectio
cum a pigricia mentali in media nocte culpe et ignorancie
sed de pigricia corporali a qua surgendum in media nocte
corporalis hore ad literam propter tres causas scilicet propter signi
misterium quia multa misteria in tali tempore sive hora facta sunt
ut filiorum Israel liberacio agni immolacio egipciorum sub
versio Exo. xii. Est Christi incarnacio Luc. ii. Christi captiva-
cio tradicio et a iudeis illusio Math. xxvi. Christi resur-
reccio ultima confractio. Sanctorum de limbo educcio et multa
similia. ii. propter temptacionis remedium quia tunc maior est oc-
casio et facilitas temptandi et temptacionibus succumbendi
propter noctis ocium et quietem et necnon fervorem et ebullicionem
et cogitacionum vagacionem sicut prosequitur Ambrosius super hunc
locum. iii. propter corporis silencium et mentis exercicium quia dor-
miendo corpus obprimens dominatur menti. In tempore dormi-
cionis et vigilando animus dominatur corpori et corpus discat sub
iugo discipline servire menti. Eccli. xxxi. Vigilia ho-
nestatis tabefacit carnes et carnales delectaciones.
Luc. xxii. Vigilate et orate ne intretis in temptacionem
etc. Est autem semper faciendum est certa et statuta hora et
hec propter tres utilitates sive causas videlicet propter assuefa-
ciendum nos propter servandam obedienciam propter coordinandam
per hanc horam reliquorum diei accionem et vitam. Ieronimus ad
Eustochium. Quamvis apostolus semper nos orare iubeat
et quamvis sanctis ipse sompnus sit oracio tamen certas horas orandi
habere debemus ut in aliis nos detentos ipsum tempus
admoneat ad orandum. Ad confitendum est etc. Taliter
surgit fideliter salubriter et utiliter in media tribulacione
qui non surgit ad [illegible] ad dubitandum de

iusticia vel ad murmurandum de pena vel ad maledicen-
dum ex desperacione et malicia quod impii inter divina
flagella facere consueverunt. Sed ad confitendum vel ad recogno-
scendum dei iusticiam ad invocandum dei graciam et ad lau-
dandum dei misericordiam super iudicia iustificacionis sue vel super
iudiciis per que nos iustificat que sunt iudicia que sunt iusta
et vera quantum ad discrecionem causarum. Ps. Cognovi domine quia
equitas iudicia tua. Et sunt equa quantum ad pensacionem
culparum. Iob xxxiii. Appendat me in statera iusta. Iste
sunt benigna quantum ad mensuram penarum. Ps. Non secundum peccata nostra
fecit nobis etc. Unde super illud Iob xxxiiii. Cum quiescit dominus sub
sistit iudicium etc. Gregorius dicit. Omnipotens non [illegible] iudicium quia
et si nobis non intelligentibus iniusta esse videntur que pati-
mur vilissime tamen ab occulto dei examine decurrunt. Sive
ergo sint iudicia remissionis et satisfaccionis que pertinent
ad illam primam iustificacionem qua de impio fit iustus
sive sint iudicia temptacionis et tribulacionis ad probandum
vel purgandum vel meritum augmentandum que pertinent ad
iustificacionem illam qua de iusto fit perfectus et de perfecto
consummatur semper super ipsis iudiciis est domino confitendum.
Primo recognoscendo divinam iusticiam super sua equitate
sicut illud in oracione Dan. iii. Omnia que fecisti nobis
domine in vero iudicio fecisti etc. ii. Invocando divinam
graciam super nostra liberacione. Ps. Propter gloriam nominis tui do-
mine libera nos etc. iii. Laudando divinam misericordiam super sua be-
nignitate quia tribulacionum flagella non sunt nobis morta-
lia sed medicinalia et vitalia. Ezech. xviii. Nolo mor-
tem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat.

Particeps ego sum

Expositis superius modis sive speciebus et utilita-
tibus ac fructibus qui pertinent ad donum timoris et act-
et officia ipsius quia in predictis modis sive speciebus sancti
timoris sicut et in aliis donis perfectis invicem sive sancti (?) et
consummati diversis modis se communicant sicut dicitur
i Cor. xii. Divisiones graciarum etc. Sed dicit quod (?)
recapitulando et recolligendo predictos particulares